



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

13. An etiam illis quos paulo ante pastor audierat in confeßione & non absoluerat, si postea superuenie[n]s inuenit adhuc viuos, sed amisisse sensu[m]?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

confessarii: & tamen sine dubio valet illo casu confessio per interpretem: deniq; quia etiam ipse poenitens in praesentia confitens potest mentiri, & de facto aliqui saepius deprehenduntur suis confessariis mentiti fuisse.

QVÆSTIO XIII.

An etiam illis, quos paulo ante Pastor audierat in confessione, & non absoluerat, si postea superueniens inuenit adhuc viuos, sed amisisse sensum?

Quæstionis explicatio.

PEste infecti vt confessionem integram & salutarem faciant, frequenter rogant pastorem, vt ad se saepius redeat, vel quia propter corporis imbecillitatem non possunt simul integram confessionem facere, vel quia tunc non occurrunt alia peccata, cum tamen sciant esse plura, & dum redit pastor, reperit homines viuentes quidem, sed priuatos sensibus: Quaritur idcirco, quid hoc casu faciet pastor, excusaturne ab vltèriori officio, vel non?

Responsio.

Tenetur pastor tales absoluerè etiam sacramentaliter, dummodo non constet eos voluntatem poenitendi mutasse, quia imprimis ponitur dispositio sufficiens ad

Q susci-

suscipiendam absolutionem durare, & reperitur confessio non tantum in genere, sed etiam in specie. Sed hic monendi veniunt pastores, ne facile ab huiusmodi infirmitate correptis recedant non impensa absolutione: Pests enim (sicut aliquoties dixim⁹) morbus est acutissimus, qui frequentius hominem subito ex hac vita eripit: Itaq; hoc agendum est, vt audito aliquo, vel aliquib; peccatis, licet pœnites petant, vt altera die, vel alio tempore reuertantur, non statim assentiatur, sed moneant illos, vt in genere saltem se accusent de aliis peccatis que modo non valent confiteri, & proponant se illa confessuros prima quaq; oportunitate, qua pastores ad eos redire poterunt, quo facto confestim illos absoluant, ne forsan cum periculo salutis sine sacramentali absolutione decedant.

Dices: Tales non confessi sunt integre, volebant enim & alia peccata confiteri, nõ tenentur ergo, imo non possunt pastores illos absoluere.

¶ Huiusmodi fecisse confessionem integram saltem formaliter, imo & materialiter, quantum scilicet infirmitas humana illo tempore permisit.

Q. V. A.